

verò *Wisuracha* vocant, habito generali conventu, tam causas populi ad se perlatas justo absolvit examine, quàm ad se pertinentes possessiones *Juridicorum* gentis decreto recepit. Quem hîc locum *Mimiam* appellant *Annales*, cum alii *Niemium* oppidum in diœcesi *Paderbornensi*, alij *Mindam*, alij *Remam* pagum ad confluentes *Warnæ* & *Visurgis* designant, quod in *Ripâ Visurgis* nullibi *Nimia* reperiatur. Verùm qui *fundationem Cœnobii Bursfeldensis* ad *Visurgis* ripam inspexerit, (de qua nos ad an. Christi 1093. agemus) reperiet is *Villam Mimen-de*, in qua *Cœnobium* illud conditum sit. Igitur ut locus iste post *Mimide*, *Mimida*, *Mimete* & *Mitida*; ita olim *Nimia* & *Nimida*, hâc *Nemide* appellatus fuerit; requirendusque potius ad superiorem *Visurgis* ripam infra confluentes *Werræ* & *Fuldæ* in *Ducatu Brunswicensi*, atque ipsum *celebris Bursfeldensis Cœnobii* fundum. At *Ludovicus*, postquam in *Westphalia* in publicis conventibus, *Caroli M.* patrisque exemplo, pro tribunali jus dixerat, ipsaque etiam *præfectorum* judicia aut convertisset in melius, aut castigasset; per *Angros*, *Harudos*, *Suabos*, ut *Francorum Annales* perhibent, perque omnes *Saxonie* provincias & *Thuringiam* conventus *juridicundo* habuit. Ita verò *Ludovicus* postquam per tot *Synodos Ecclesiasticas* disciplinas instaurasset, duabus præterea rebus, quæ optimorum *Regum* sunt, fortitudine videlicet *bellicâ* & *justitiâ*, *Germanie* *Saxonie*que *Regnum* non modò domi quietum ac florens, sed ab *hostibus* exteris intactum conservavit.

Annus Christi 853. &c.

Leonis IV. Pont. 7.

Lotharij Imp. 13.

Ludovici Germ. Reg. 13.

Baduradi Ep. Pad. 39.

Nortmanni Galliam populati mutuis armis conciduntur.
Ann. Francorum Regino.

* al. Horich & Guduy.

Hoc anno Christi 853, *Nortmanni* infestissimi *Christianorum* hostes arma convertère in *Franciam* occidentalem ac *Caroli Calvi* *Regnum*, & classe per mare invec-tâ in *Ligerim*, urbes *Nanetem*, *Andegavos*, *Turones* occupârunt, & celeberrimam *D. Martini Basilicam* flammis absumpserunt, tam latè exinde quam impunè prædiis, incendiis, & cædibus grassando. *Frisiam* verò non sunt ausi attingere, quodeam *Roricus Harald* *Danorum* *Regis* frater, religione *Christianus*, acriter terra mariquetueretur, & classe *pyratica* ipsos etiam *Danos* infestaret, prohiberetque à *Saxonum* & *Frisonum* finibus: dum haud multò post *Nortmannorum* *Regnum* bello civili scissum, revocatisque ex *Gallia* *Nortmannis*, * *Ericus* & *Gudorinus* internecino gentis prælio decertant, unico tantummodo puc-